



1. D
n
2. v
3. o
4. .
5. .
6. .
7. v

1713.

1. Petrusius, Gallo Balther: De continuatione possessio-
nis per successores.
2. Spret, Iacobus Philippus: De eo, quod instrumentis circu-
ventiones in genere et in specie circa ventiones
precarias.
3. Holzborn, Andreas Burkholder: De senatus consulta
Macromianis.
4. Meier, Joh. Henricus: Dissertationis iuristica, sistens
selectas quasdam ex iure venatorio quaestiones
5. Meier, Joh. Henricus: Defucato et aculeato
quorumdam causarum style.
Berlin, Joannes Philippus:
6. Ettor, Antonius Christianus: De renuncialione
appellationis aliorumque remedium contra senten-
tiam.
7. Spret, Iacobus Philippus: De foris privilegiatis

8. Skret, Joannes Philippus : De testamento militari 18
9. Tengell, Ernestus : De convenientia et disconvenientia
probationis et demonstrationis 17
10. Tengell, Ernestus : Utrum sententia iuricis iusta
slibiori per item absoluto plenam praestare valeat
liberationem ? 2.
11. Tengell, Ernestus : De convenientia et disconvenientia
juri Saxonici et juris Magdeburgici in processu 3.
executivo
12. Tengell, Ernestus : De mendaciis effectu in iure
13. Tengell, Ernestus : De Consulatu Macedoniano. 4.
14. Tengell, Ernestus : De praecerto judiciali de
non solvendo in genere, et in specie, ex illud eorum
usurparum riotat ? 5.

18. Treber, Iacobus Petrus : De destinatione . . .

1714.

1. Everts, Amelius Gorpius : De iure foederum
sive alliancearum
2. Meier, Iohannes Henricus, Facult. iuridical decanus :
--- lectori bener. s.p. d. (ad disputationem in ang.
Christian Schaefferi invitata)
3. Meier, Iohannes Henricus, Facult. iuridical decanus
--- lectori bener. s.p. d. (ad disputationem
in ang. Augusti Historici Engelmanni invitata)
- 3b. Meier, Iohannes Henricus, Facult. iur. decanus : Programma,
Dissertationis iuxta Iacobum Gorpius Winkelini presentationem.
4. Meier, Ioh. Henricus : De actione negotiorum.
5. Meier, Ioh. Henricus : De jure ripariorum
sive de jure habeari pontonum in fluminis
publico



6. Meier, Ioh. Henric. : De jure diffensione recognita
mann.
7. Mueller, Augustus Fridericus : De rationibus legum
investigantibus
8. Schaeffer, Christianus : De legibus iuris
9. Shd., Michael Heinrichus : De justitia et fine
iuris prouidentiae.
10. Stockhausen, Gottfridus, &c. : De jure statibus impone-
tia alitionem territorii competente
11. Tengel, Ernestus : De militatione ultimae voluntatis
12. Tengel, Ernestus : De horrarioris
13. Tengel, Ernestus : De coquard justam est circa
meam.
14. Treiber, Iohannes Philippus : De modo augearum fiscum
et potestatum principis.

22 alioquin et abea, eam ha-

III

et dicitur o. fuisse propter quod
et hoc dicitur propter quod sicut

et hoc

38

DISSE^TRAT^O JURIDICA INAUGURALIS
DE EO, 1713, 2
QVOD JUSTUM EST CIRCA VENA-
TIONES IN GENERE,
ET IN SPECIE CIRCA
VENATIONES PRE-
CARIAS,
VULGO *Bnaden-Fagten/*

QUAM
ALTISSIMO JEHOVA TUTANTE
INCLITA FACULTATE JURIDICA SUFFRAGANTE
IN PATRIA UNIVERSITATE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CESAREÆ ATQUE REGIE CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO IN-
TIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUNTINÆ ET TRE-
VIRENSIS, CANONICO CAPITULI RI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-
EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSI-
LIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE ERFURTENSIS

PRO - PRINCIPE;

DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,
PRO - RECTORE MAGNIFICO

VIRO PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO,

DN. JOAN. PHILIPPO Streit / JCto,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARIO, JURIDICA
FACULTATIS ASSESSORE PRIMARIO, p.t. DECANO,
AD SUMMOS IN UTRQ.E JURE HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA CONSEQUENDOS

PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ

D. XVI. JANUAR. M DCC XIII. H. L. Q. C.

SUBMITTET

FRIDERICUS ANTONIUS Wallenhorst / Erfurt.

Typeis JOH. HENR. GROSCHW., Acad. Typogr.



187 3. 20



I. N. D. N. J. C.

PRÆFATIO.

Ostquam in illustribus
tribus Academiis Sa-
lana, Ludoviciana &
Patria studio Juris ha-
bitenus incubui, eoque
per DEI Gratiam ad
metas Academicas producto, ut
summos, quos vocant *Honores* de-
center ambirem, Autores mihi fue-
runt Patroni quidam atque Amici ve-
nerandi. Dethemate quodam mihi

A 2

dispi-

dispiciendum fuit , quod Inaugurali
Dissertationi pro more destinaretur.
Et obtulerunt se quidem & coimen-
data mihi fuerunt varia , quemadmo-
dum sylva doctrinarum juridicarum
amplissimi & latisimi ambitus est ,
sed cum alia ad elaborationem lon-
gius tempus , alia maiores ingenii &
subsidiorum , quam quidem mihi
sunt , copias requirant , placuit ad *Ven-*
nationis argumentum convertere o-
peras , materiam sane non jucundam
minus tractatu , quam usi non exi-
guo commendabilem . Et cum id for-
te nimis generale tritumque videri
posit argumentum , satis quippe à
Sebastiano Medices , Pruckmanno ,
Zoanneto , Ottone , Meurero , Frit-
schio , Cludio , imò etiam in hac Patria
Academia à Schmidelio & nuper à

Dn.

Dno. à Sode aliisq; pluribus peculia-
ribus Tractatibus vel Dissertationi-
bus ventilatum; igitur in specie etiam
de eo, quod circa Venationes precari-
as justum est, simul hic agere mecum
constitui, quæ tractatio non addeo
frequens occurrit, dum, quod sciam,
præter laudatum Fritschium, Ferdi-
nandum Christophorum Harprech-
tum & Petrum Mullerum nemo in
isthoc argumento præivit. Ut autem
ordine aliquo procedam, in duas Se-
ctiones opellas includam, quarum
priore id, quod justum est circa Ve-
nationes in genere, posteriore autem,
quod jus in specie circa venationes pre-
carias obtinet, pro virili considerabo.
Quod, dum facio, ut Deus T.O.M.
conatui benedicat, supplex ero.

SECTIO



SECTIO PRIOR.

De eo, quod justum est circa Venationes in Genere.

CAPUT I.

De Jure Naturali circa venationes.

SUMMARIA.

- S. 1. Demonstratur Jus venationis esse Juris Naturæ quod omnibus æqualiter competit.
- S. 2. Quæritur, an dominium Jure Nat. in feras concessum etiam sit extentendum ad *niveosq; vias*, cum rationibus dubitandi,
- S. 3. Deciditur quæsto.
- S. 4. Distingvitur inter usum legitimum & abusum cum iumanitate & stoliditate conjunctum.

§. 1.



Us Naturæ cum sit antiquissimum & omnium primum, inde etiam de eo statim initio acturi videbimus, quid circa capturam, animalium à Deo mediante rectæ rationis dictamine hominibus concessum fuerit. Et certe de jure ca-

§. 7.

re capiendarem ferarum , imo etiam occidendarum
ut vel fructus inde percipiendi habeantur , vel ne
nimia sui copia detrimanto sint , dubium vix super-
esse potest , dum quæ ad finem , scil . conservationem
nostram , faciunt , ad ea etiam tanquam ad media
nobis jus dedisse benignissimum creatorem , satis li-
quidè appetet . Quid? quod multarum alias usus
vix esse posit , nihil autem frustra , sed omnia ad sa-
lutem hominum Deus condidisse intelligitur . Er-
go haec tenus de jure dubitare non licet , & eo qui-
dem omnibus hominibus æque competente propter
summam equalitatem , quam Deus inter nos naturâ
constituit , quæque tanta est , ut præcipuæ in usu
creaturarum partes uni præ altero datæ non cognos-
cantur . confer . Pufendorf . de Jur . Nat . & Gent . L . III .
c . 2 . L . IV . c . 3 . § . 2 . seqq .

§. 2.

Illud forte magis dubium , an ex solo rationis
lumine certi esse possumus , quod illud in feras à Deo
concessum dominium etiam eo extendi debeat , ut
cibi causa occidentur & consumantur ? Rationes du-
bitandi in summam contraxit Magnificus Dn . We-
berus , Præceptor quondam & hospes meus in Alma
Ludoviciana ad cineres usque colendus , nempe :
(1) *quia ex plerisque alia ratione utilitatem v.g. dum vi-
vunt lac lanam, ova &c. dum moriuntur pelle coria
percipere possumus.* (2) *Necessitatibus nostris consuli po-
test circa χρεωφυλα.* (3) *Quoad animalitatem magna
mos inter eis ista est cognatio.* Not . ad Pufend . Offic . Hom .
& Civ . L . I . c . 12 . § . 1 .

§. 3. Hisce

¶ 8. 5.

§. 3.

Hicce tamen non obstantibus, saltim ex quo de divina concessione & voluntate *ex sacris literis* constat, firmiter etiam concludere possumus, Naturali jure oppidò licitum esse, ut carnes sicuti alias ita quoque ferinas inter fercula nostra referamus, cum, quod contra naturale jus est, eique adverfatur, id ne Deus quidem ullo modo pro licito declarare possit. Est enim hoc ipsum jus voluntati divinæ consentaneum, cui veram aliquam mutabilitatem attribuere néutquam convenit.

§. 4.

Sic igitur Naturali jure & venari feras & comedere licet; Illud tantum circa venationes adhuc re&te monet Illustris Pufendorfius: *Cavendum esse abusum hujus facultatis, & cum præcipue, qui cum stolido immanitate (adde etiam cum petulanti voluptate) coniunctus est.* Licet omnim inter nos atque feras nulla intercedat juris communio, *vergit tamen in detrimentum universæ mortalium societatis, & in contumeliam creatoris, qui tanti muneris autor est, si misere feræ, que non absque sensu moriuntur, petulanter & inutiliter perdantur. Jur. Natur. & Gent. L. IV. c. 3. §. 6.*

CAPUT II.

De

Jure Dei positivo circa venationes. SUMMARIA.

§. 1. Protoplassis statim in Paradiso dominium in omnia animalia est concessum.

§. 2. Quz.

¶ 9. ¶

- §. 2. Quæritur: an etiam illud dominium Jure Dei positivo sit extentendum ad viëtum ex iis parandum.
§. 3. Allegatur controversia de hac materia inter Curcel-læum & Heideggerum.
§. 4. Dominium concessum in feras præcipue ad captu-ram earum spectavit.

§. 1.

Jam quoque de jure Dei posuivo videamus, ubi expressa concessio benignissimi Creatoris liqui-dissime patescit, licet de tempore seu termino à quo iustius juris non una omnium mens sit. Illud quidem extra dubitationis aleam positum est, dominium in omnia animalia in ipso Paradiso Pro-toplastis divinitus tributum fuisse. *Gen. I. v. 28.*

§. 2.

Sed an etiam eo usque extensum , ut ad vi-
etum è ferarum carnibus parandum capere potue-
rint? dubium faciunt verba sequentis commatis, u-
bi de cibo Deus distinctè disposuit, & specificè tan-
tum herbas assignavit, unde putant haud pauci ex di-
vina voluntate nec Protoplastis nec cæteris Ante di-
luvianis jus fuisse ad feras captandas, multo minus
ad eas comedendas. Et videtur hæc sententia ro-
bur accipere ex *Gen. IX. v. 3. seq.* ubi demum post di-
luvium Deus Noacho potestatem concedit , ut ipse
cum liberis & posteris deinceps carnes in cibum ad-
hibere posít, æq; ut olera & herbas virentes, qui-
bus ex priore concessione ante-diluvianis vesci li-
cebat.

B

§. 3. No-

§. 3.

Notum est, quod Stephanus Curcellæus Annianus diatribe peculiaris de *esu saagvinis* hanc sententiam recoxerit, pluribusque tueri conatus fit, cui se opposuit Joann. Henric. Heideggerus *tratatu de liberteate Christianorum à lege cibaria*: qui postea Martinum Schockium vindicem Curcellæi expertus est. *Exercitat. Variar. XXXIII. p. 567. seqq.* Nos controversiam hanc, præcipue quoad caput principale de *protephagiis*, nostram nunc non faciemus, nam disquisivit hanc controversiam pro & contra, & in primis affirmantium partes defendit Dn. D. Danzius in *Dissertat. de creophagia ante diluvium licita*.

§. 4.

Illud tamen audacter adserere non veremur, in prima ista concessione protoplastis & posteris eorum ante diluvium facta præcipue jus captandarum ferarum fuisse comprehensum. *Gen. I. v. 28.* Quis enim quæso attributi dominii fructus aut effectus fuisset, si non & captare, vel sponte venientes in statu integro, vel coactas & invitatas post lapsum in potestatem redigere licuisset? Quicquid enim sit de edendi facultate, ad alios tamen usus adhibere, quin & cædere, cæsarumque saltim pellibus uti, nil omnino prohibebat.

CAPUT

CAPUT III.

De

Jure Romano circa venationes.

S U M M A R I A.

- §. 1. Jus Romanum circa venationes sequitur jus di-
vinum.
- §. 2. Jus Romanum tribuit cuivis non Servo facultatem
venandi.
- §. 3. An etiam rusticis & agricolis?
- §. 4. Etiam in alieno fundo.
- §. 5. Quid quis feram occupasse dicatur, an is qui vulne-
ravit, an vero qui cepit.
- §. 6. Movetur dubium.
- §. 7. Respondet ad isthac dubium,

§. I.

Pergimus ad *jus Romanum* quod in hoc capite dispositionem juris divini, de quo in præde-
centibus locuti sumus, pene secutum est. Ita
enim ex §. 12. *Instit. de R. D.* constat, ferarum
bestiarum capturam ad *Jus Gent.* referri, quod hoc
loco synonymum *Juris Naturalis* esse, verba statim
sequentia ostendunt, quibus id per rationem natura-
lem declaratur, licet alias in legibus Romanis *Jus*
Gentium pro peculiari specie *Juri Naturali* & civili
contradistinctum *tit. Inß de Jur. N. G. & C. l. 1. §. 3. 4.*
l. 7 ff. de I. & Jur. & alib. pasim, sed minus accurate ha-
beatur; subiectis quidem, non specie, ab invicem
diffe-

differunt, cum utriusque juris idem sit principium, scil. dictamen rectæ rationis, super socialitatem reflexum & eadem præcepta. Hinc in negotiis singularum hominum dicitur *Jus naturæ hominum*, in negotiis integrarum gentium dicitur *Jus naturæ gentium*, vid. laudatus Dn. Weberus *not. ad Pufendorf. Offic. H. & C. L. I. c. 3. §. fin* Hobes de Cive c. 14. n. 4. Hert. *Jurisprud. univers. Sc. I. § 3.* it. *Dissertat. de Lytro Sc. I. § 6.* Pufend. *Jur. Natur. & Gent. L. II. c. 3.* §. 23. Thomas. *Instit. Jurispr. Div. L. I. c. 2. §. 2.*

§. 2.

Hoc igitur jure apud Romanos per modum occupationis *cuique non-servo* liberum erat etiam in alieno solo feras in potestatem suam redigere.

§. 3.

Quæritur: *an etiam rusticis & agricolis?* Negat id simpliciter Dn. Thomasius *not. ad Instit. tit. de R. D. 5. 12. p. m. 126.* & quidem ex ea ratione, *quod servi fuerint*, & per consequens nihil plane acquirere potuerint. Quod, licet veritati omnino sit consentaneum, limitandum tamen videtur in iis, qui ex lege Anastasiana *per triginta annos colonaria detenisi conditione libertatem adepti* l. 23 §. 1. *C. de agricol. censit. & colon. jundz. preced.* l. 22. §. 1. eod. His enim dum libertatem consecuti sunt fine dubio etiam venandi facultas omnibus non-servis competens deneganda non venit.

§. 4. Cate-

Cæterum quod ante dictum fuit & in l. 1. seqq.
ff. de A. R. D latius exponitur , jus captandarum fe-
rarii tanquam rerum nullius omnibus apud Ro-
manos patuisse , id adhuc ampliatur in allegato In-
stitutionum textu §. 12 *de R. D.* & l. 3. f. 1. *ff. de A. R.*
D. ut locum etiam habeat , *licet fera bestie in alieno*
fundo capta fuerint , quam tamen extensionem ita ac-
cipi oportere tradit Imperator cum Gajo JCto , quod
dominus fundi non sit coactus , ut permittat alios
ingredi venandi gratia , sed quod ipsi integrum sit
ingredi volentem prohibere , vel etiam manu resi-
stere. *Gloss in d. l. n. 3. verb. prohiberi & ibi Bartol.* Li-
cet fera , si quam ita ceperit , capientis maneat. De-
inde limitatur , quod *dominium ferarum captarum*
duret , donec custodiantur. *Quod si autem in libertatem*
naturalem se receperint , quod tunc fieri intelligitur ,
cum eas persequi non possumus , l. 5. pr. *ff. de A. R.*
D. iursum incipiunt esse nullius , & desit esse do-
minus , ubi fera evaserit. *pr. Instit. si quadrup. pauper.*
feciss. dicatur.

Præterea quoad jus venandi apud Romanos
usitatum observari potest , sœpe *lites super feris ab alio*
vulneratis & ab alio captis abortas fuisse , quod in tan-
ta venandi libertate vix aliter evenire potuit. Quæ-
stio igitur decidenda erat , *uter dicatur feram occu-*
passe , an , qui eam plane & integre cepit , an vero ,

§ 14. 58.

qui vulneravit tantum, vel alias in spe capiendi proxima fuit? Diversimode pronuntiabatur, sed Imperator Gaji & Proculi sententiam in l.s. §. 1. & l. 55. ff. de A. R. D. secutus pro capiente contra vulnerantem decidit, quia multa accidere soleant, ut vulnerans feram non capiat §. 13. Inst. de R. D. Interim tamen quis vulnerantem in persecutione malitiose impeditur, aut feram laqueis jam comprehensam in naturalem libertatem dimiserit, contra eum in factum actionem dari oportere Proculus statuit d. l. 55. de A. R. D.

S. 6.

Plurima certe in his adhuc sunt impedita, & illud quam maxime, quando dictum fuit, dominum habere jus, ut in suo fundo venaturum prohibere poscit, & tamen, si feram ceperit, capientis ea maneat. Sic sane prohibitio ista nullum effetum habere videtur? Et respondent DD. ad hoc dubium diversimode, ceu videre est apud Gudelium Jur. Noviss. L. II. c. 2. Vinnium ad §. 3. Inst. de Rer. Div. Ziegler ad Grot. L. II. c. 2. §. 5. qui tamen non satisfaciunt Pufendorfio Jur. Natur. & Gent. Lib. IV. cap. 6. §. 7.

S. 7.

Nos quid sentiamus, breviter exponemus. Romani dum feras pro rebus nullius nimis generiter & illimitate declaraverant, locus vero qualitatem

tatem rei non mutet, inde ex sua hypothesi non potuerunt aliter, quam venanti in alieno fundo etiam contra prohibitionem ejus, qui fundi dominus erat, occupatam feram adjudicare, capta igitur fera capientis erat manebatque, sed inde minime putandum est, prohibitionem Domini penitus omni effectu caruisse, neque id ullibi dicunt §. 12. *Inst. de R. D.* & alii textus. Quare eo casu, quo quis probibentem impedit, quo minus ipse feram in suo fundo capere possit, prohibitum *injuriarum* & *in factum* teneri putamus *l. 12. §. 7. ff. de Injur. l. 55. de A. R. D. Gloss. in l. divus ff. de Servitut. pr. ed. rustic.* Et potest pena pecuniaria vel extra-ordinaria carceris, aut alia similis pena imponi, non autem pena capitis vel amissio alicujus membra conf. Cœpp. *L. I. Obseru. 72. n. 19. seqq.* & Knichen *Comment. de Sax. non provoc. jur. c. 5. n. 272. seqq.*

CAPUT IV.

De

*Jure publico & Germanorum circa
Venationes.*

S U M M A R I A.

- §. 1. Apud veteres Germanos fuit liberimam venatio.
- §. 2. Sequioribus temporibus ad regionum dominos venatio est restricta.
- §. 3. Venatio est regale.

§. 4. Si

¶ 16. 5%

- §. 4. Si *unusquisque* appensa habentes feræ auffugerint, an in iis furtum committatur.
§. 5. Jus venandi ut plurimum est superioritatis territorialis.
§. 6. An dominus regionis jus venationis cuius jam alii compotes facili sunt, simul exercere possit?
§. 7. Quale jus habeant in alieno territorio venantes? remissive.

§. 1.

A Pud Germanos longe aliter se res hodie habet quoad jura venationum. Olim venari licebat cuvis ingenuo; de servis etiam non dubitaverim, cum Germanorum servorum à Romanis longe maximum fuerit discriminem, teste vel solo Tacito *Moribus Germ.* c. *XV.* & rationes liberrimæ venationis, quæ erant, ut alimenta exterris caperent, & ad virtutem bellicam excitarentur, & que ad sic dictos servos, ac ad cæteros quadrent. De venationum studio idem Tacitus testatur; *quod tiens bella non ineunt Germani*, multum venatibus transfigunt. *c. XV.* In venationibus atque in studiis rei militaris vita Germanorum omnis consumitur ait Cæsar bell. *Gallie. Lib. VI. cap. 21.* Plura testimonia vide sis apud Kirchmannum *Comment. ad Tacit. de Morib. German. d. c. XV. p. m. 237. seqq.*

§. 2.

Sed sequioribus temporibus id prorsus apud nos mutatum, ex quo regiminis forma mutata & popu-

populari libertate extincta, Regia potestas prævaluit. Vestigia coarctati hujus juris jam ætate Francorum regum deprehendimus, ceu pluribus docet Illustris Hertius *Dissertat. de Superioritat. Territor. §. XLIX.* Sed demum eo res deducta fuit ut solis Imperatoribus & regionum dominis (conf. Baruch. cap. 3. v. 16.) venatio relicta, abs quibus in ejus communionem præcipui cives (& quidem vel per præscriptionem vel per speciale privilegium) alicubi admis- si, nisi quoad rapaces bestias quibusvis occidere ubique fere liceat. Pufend. 1. c. L. VI. §. 6. Idque præcipue ob pacem & tranquillitatem publicam factum est arg. 177. §. 2. de Leg. 2. l. 26. de Serv. Pred. urban. & ne species ferarum prorsus intereat, quod facile fieret, si omnium libidini promiscue paterent. Et quis quæso dubitat, quod jure idem fieri non potuerit? conf. Grotius de Jur. Bell. & Pac. L. II. c. 8. §. 9. & Pufendorf. 1. c. aliquie plures.

§. 3.

Sic igitur ad *Regalia* apud nos venandijus refertur, quod tamen axioma perit, si quando vel ex concessione vel ex præscriptione a subditis exercetur; Tum enim non regalium, sed *privilegiorum* nomine venire tritisimum est. De tempore, quo regionum dominis jus proprium factum, liquido non constat, cum tamen probabile sit, id universalis lege vel more uno eodemque tempore non ubique introductum, sed successive potius invaluisse &

C

&

se & pro specie superioritatis territorialis fuisse
habitum. Evidem Fridericus Imperator in no-
tissima constitutione, *qua sim regalis*, *Feud. L. II.*
Zit. 56. dum regalia recenset, venationis in ea di-
ferte mentionem non facit, volunt tamen sub *piscatori-*
nibus eas simul comprehendit, quod videlicet suo loco
relinquimus, verius tamen existimantes, quod tam
temporis venandi jus ita privative, ut hodie region-
um domini nondum possederint. Quicquid autem
sit de origine, hodie certe superioritatis iuribus ad-
numeratur, & id passim tum in publicis tum in priva-
tis locis cum exclusione, dominorum ordines exer-
cent *Klock Tom. I. Consil. 10. n. 373* & *III. Consil. 149.*
n. 120. Neque dubitandum est ferarum in forestis
captarum apud nos furtum fieri docente Schiltero
Exerc. XLV. ad ff. §. 9. Secus atque apud Romanos.
Hertius 1. c.

§. 4.

Illud queritur: si *magistratus* appensa habentes feræ
affugerint & in naturalem libertatem se recepe-
rint, an in iis æque furtum committatur, an vero a ca-
pientibus recte retineri possint? *Hug. Grotius de Jur.*
belli & Pac. L. II. c. 8. §. 3. simpliciter affirmit, furtum
committi; negat vero *Struv. in resolut. LL. obstant. ad*
Exerc. 41. S. I. C. 1b. 3. Et nota sunt exempla cervorum
quorundam & accipitrum, qui per talis modi cre-
pundia agniti, dominis redditu fuerunt. Sic Anno
M D LXIV. evenit, ut Imperatori avolaret falco
quidam pretiosissimus, cui fuit affixus aureus an-
nulus

nulus, in quo affabre exsculptum sicut nomen :
FERDINANDUS REX. Hunc cuperunt forte for-
tuna subditi Wilhelmi, Archiepiscopi Rigenis in
Livonia, & ad eum detulerunt, Archiepiscopus
communicato cum amicis consilio, ac retinere pos-
sit ? hi ipsi responderunt, quod non, cum ille an-
nulus testetur, adhuc in prioris domini potestate
avem esse, idcirco etiam remittendam. Remisit
itaque Archiepiscopus eam Imperatori per peculia-
rem nuntium, ab hoc singulari gratia acceptum, at-
que lauto munere inactatum. Ego cum Pufendor-
fio distinxerem inter feras sua naturali feritate
adhuc gaudentes, & inter eas quae per homines
mansuetae sunt, nativamque feritatem exuerunt.
Non illas sed has jure cicurum animalium frui, &
per consequens etiam furtum in iisdeni committi,
ambabus largior. *I. N. G. l.c. S. 12.*

S. 5.

Cæterum est tamen, ubi privatis vel ex an-
tiqua libertate, vel ex conventione, saepe quidem
feudali, vel ex alia causa venandi jus debeatur. A-
libi cujusque vicinæ regionis domini variis ex ti-
tulis id quæsum habent. Unde sequitur *jus venan-*
di ut plurimum esse superioritatis, aliquando tamen sin-
gulare, aliquando servituti simile, nonnunquam &
aliud, prout multæ sunt species juris in re. vid.
Knipschild. de Civitat. Imper. L.II.c. 7.n.1. seqq. Coccej.
Jurispubl. prud. c XXIII. Sc. 2. S. 58. Carpzovium P. III

C. 2

Conf.

Conſt. 32. Def. 17. aliosque plures allegatos apud lau-
datum Hertium l.c.

§. 6

Ex hisce præmissis plurimæ quæſtiones de-
cidi poſſunt, e.g. an dominus regionis j̄us venationis,
cujus jam alii compotes faciſtū ſunt, ſimul exercere poſſit?
Ubi respondemus ſi feudale aut uſufructuarium fue-
rit horum j̄us, dominum excludi, cum omne e-
molumentum ad Vasallum vel uſufructuarium perti-
neat l. 7. 9. 15. f. de uſufruct. & quenam d. Sin autem
ſingulare vel precarium, in dubio regionis domini-
num admittendum eſſe. In multis tamen locis ſine
diſtincione hoc j̄us tibi vindicare dominos teſtan-
tur, Meurer von Jagt- und Forſt- Recht P. VII p. 118.
Cœpp. Dec. 17. n. 9. ſeqq. & alii.

§. 7.

Pertinet huc etiam quæſtio, quale j̄us habeant
in alieno territorio venantes? ad quam cum diſtincte
repondeat l.c. ſubtilis & magni nominis JCtus ſe-
pe memoratus Hertius, cuius in hisce ultimis ve-
ſtigia fere legimus, cupidum lectorem eo ablega-
mus. Et poſſemus adhuc quam plurima, quæ ad
indolem juris venatorii apud Germanos ſpectant, in
medium proferre, ſed cum de eo ingentia volumi-
na Doctōrum extent, nobisque non ſit propositum
hac vice ampliſſimum hocce argumentum, quod
etiam in angulis hisce pagellis fieri non poſſet, pe-
nitus

nitus exaurire, idcirco colophonem huic penso imponentes pergitus ad reliqua.

SECTIO POSTERIOR,

De eo,

*Quod justum est circa venationes
precarias*

in specie,

vulgo Gnaden Jagten.

CAPUT I.

De

*Definitione & differentia venatio-
num preciarum.*

SUMMARI A.

- §. 1. Significatio vocis venationis.
- §. 5. Quomodo precarium hic sumatur.
- §. 3. Definitio venationum preciarum.
- §. 4. Definitionis brevis evolutio.
- §. 5. Divisio venationum preciarum in regulares & irregulares,
- §. 6. (II) sunt vel pure tales vel mixti generis.
- §. 7. Hic loquimur tantum de regularibus.

C 3

S. De

S. 1.

DE venatione s̄iguntur dum loquimur, tam latente hoc vocabulum accipimus, ut vel præcipue sylvaticam innuamus, nec tamen omnino pescationem vel aucupium excludamus, prout eo sensu omnes hafce species Leges Romanæ comprehendunt, §. 12. Institut. de R. D. l. 1. §. 1, ff. de A. R. D. l. 3. §. 1. ff. cod. quatenus scilicet in iis civitatum rectoribus jus aliquod præcipuum constitutum est.

S. 2.

Precariū vox in jure tam Canonico, quam Civili, variis significationibus, subjacet: sed ex substrata materia facile adparet, nobis ita sumi, quatenus petenti ad preces ex utenda conceduntur ex mente Ulpiani l. 1. pr. ff. de precar. & quidem gratis, cum etiam tale verandi jus aliquando pro certa mercede constituatur; de quo in Paragrapho sequente mox dicemus. Inde germanice Gnaden-Sagten. vid. Illustris quandam Assessor Cameræ Eysenius Disputat. de Jus. Venandi Thes. 18. Speidel, & Bebold, hac voce,

S. 3.

Dicimus ergo reali definitione, quod precaria venationes sint species venationis, que alicui ab eo, qui venandi jus habet, certis de causis ad ipsius preces gratis conce-

§. 25. §.

conceduntur, ut feras & alia animalia juxta modum praesertim insectari tam diu posse, donec concedens istud jus revocaverit, vel alias id ipsum legitimis modis cessarit.

§. 4.

Dicimus (I) quod praevariae venationes sint venationis species: ut ut autem ipsæ venationes prævariae in definitione nostra speciei locum obtineant, eas tamen per species venationum, tanquam per genus, recte definiri posse, dubium non habet, siquidem ex Logicis constat, etiam sp̄ciem ratione inferiorum generis vicem sustinere posse. Dicimus (II) quæ alicui conceduntur, ut subiectum innuamus, de quo brevi pluribus. Dicimus (III) quod ab eo, qui venandi jus habet, concedantur, quibus verbis ad causam effectricem respicimus. Dicimus (IV.) quod certis de causis id fiat, ad fines indigitandos. Dicimus (V.) quod ad preces gratis concedantur, ut de forma constet. Dicimus (VI.) Feras & alia animalia, quæ obiectum constituant. Dicimus. (VII.) Impetrantem posse juxta modum praesertim tam diu insectari, donec concedens jus istud revocaverit, vel alias id ipsum legitimis modis cessarit, quæ verba ad effectus ex parte tam impetrantis, quam concedentis referri volūmus,

§. 5.

Pergere in statim ad ubiorem eorum, quæ in definitione comprehensa sunt, expositionem, nisi regulæ bonæ methodi requirerent, ut, priusquam

60

eo progredior, differentia, quæ inter venationes precarias regulares & irregulares intercedit, paucis ostendatur. Est ea DD. distinctio, quam vnde apud Harprecht *de venat. precar. Thes. I. § 6.* Per regularem intelligunt eam, que ex mera gratia & liberalitate concedentis proficiscitur, per irregularem vero eam, quæ quidem benevolentiae concedentis debetur, sic tamen, ut annua pensio pro eadem præstetur, quo ipso hæc revera in locationem conductio nem abit,

§. 6.

Alias etiam precarium distingvunt in *purum*, *L. I. § 12. ff. de precar. & in mixtum seu tale, in quo aliquid lucellum interveniat arg. L. II. § 12. de precar. conf. Herold Consil. Decis. XL. n. 17. Strauch de precar. c. II. §. 6. quam distinctionem examinat Bachov. ad Treutl. Vol. I. Disp. 24. ib. 5. Litt. C. Et posse hanc distinctionem ad venationes precarias applicari, dubium non est, ita ut aliquæ pure tales sint, aliquæ mixti generis, ita videlicet, ut grat & oneris quid ad mixtum inveniatur; quam differentiam etiam Germani observant, dum *regulares seu puras Gnaden-Jagten/ irregulares autem & mixtas cum apposito Bestand und Gnaden-Jagten* appellant. conf. Besold. *Thesaur. Praet.* voce *Jagen*. Oldenburger Itinerar. Jurid. Tit. de Terra §. 45.*

§. 7.

Nobis in præsens tantum cum *venationibus regularibus*, tanquam cum specie principaliore res est.

est, id quod ex definitione proposita appareat, ubi ad formam earum spectare diximus, ut *gratis* constituantur. *conf. c. 3.* Possemus quidem plures venationum preciarum differentias ab objectis scilicet, & earum qualitatibus, item ab adjunctis in medium producere, sed cum partim commodior de iis dicens occasio c. 3. redeat, partim etiam vulgatae nimis sint, & praesenti argumento parum lucis adferant, missas hoc loco eas faciamus, & ad magis necessaria nos conferamus.

CAPUT II.

DE

His, qui concedere & qui acquirere possunt venationes precarias.

SUMMARIA.

- §. 1. Quinam posit venationes precarias concedere.
- §. 2. An etiam Tutores & Curatores pupilli principis?
- §. 3. Quid si venatio duobus competit?
- §. 4. An usufructuarius, b. f. possessor & qui jure antichretico jus venandi habet, alteri venationem posit precariam facere.
- §. 5. Quinam possint venationem precastiam acquirere?
- §. 6. An & foeminae?
- §. 7. An & clerici & rustici?

§. 1.

Concedere igitur in imperio nostro venationes precarias possunt ii, ad quos venandi
D
jus

§ 26. 50

ius spectare in præcedente sectione diximus, Imperator videlicet atque ordines, & si quibus aliis idem, quounque modo, legitime partum competit, adeo ut etiam immediatos imperii nobiles non excludamus, utpote regalium capaces, quo venandi jus hodie spectat. Limnaeus Jur. Publ. L. VI. c. 3. §. 38. seqq. Spreng de Jurepubl. L. II. c. 39. Coccej. Jur. publ. prud. c. 25. §. 10. imo nec alias mediatos, qui per modum privilegii venandi jus a territoriorum dominis habent, vel de eodem investiti sunt. Harprecht dict. Disput. de venat. precari. Thes. 14.

§. 2.

Sed an Tutores vel Curatores pupilli vel minoris Principis & Illustris in horum territoriis venationes precarias concedere possint? quæstio est, quam late ventilat laudatus Harprecht l. c. Th. 13. Et quamvis obstatre videatur, quod concescio talis in donationis speciem incidat, haec autem tutoribus & curatoribus interdicta sit. l. 22 l. 46. § fin. ff. de administrat. tutor. attamen hanc facultatem Illustrium tutoribus non denegandam inde probatur, quod dictæ LL. non de his, sed de privatorum tutoribus loquuntur, adeoque illis amplior, quam hisce potestas competit, ceu pluribus Carpzov. P. II. conj. 11. Def. 48. n. 4. & vel maxime Guttierrez de Tute. & Cur. P. II. c. 6. n. 9. præfertim si precarium hoc in personam aliquam propter singularia merita conferatur, & adeo donatio sit

fit remuneratoria, ceu patet ex præjudiciis apud
Brunnemann. ad l. 12. n. ult. ff. de administr. tutor. Car.
pzov. P. II. Conſtit. 12. Def. 48. Besold. Thesaur. Præfic.
voce Jagten.

S. 3.

*Quod si venatio dubibus, sed diversimode, v. g.
ut unus majores, alter minores capere posset, in una ea-
demque sylva competitat, dubium non est, quia uter-
que, sed quilibet pro modulo sui juris venandi, po-
testatem precario alteri cuidam indulgere posset,
cum quilibet suarum rerum moderator sit atque
arbiter, dummodo bona fide, & nihil in præjudi-
cium tertii egerit. Aliud ergo dicendum, si duo
pluresve venationis equali jure condominium in uno co-
demque loco habeant, tunc enim unus solus in alte-
rius præjudicium & citra hujus consensum venatio-
nes procarias in toto isto communali loco concede-
re nequit, sed prohibentis conditio omnino poti-
or erit, per notissinam l. 28. ff. commun. divid. qua-
re hoc iterum cessat, si unus pro sua tantum parte a-
liquem precario venari sinat. l. i. l. 2. C. commun. divid.
ubi Perez n. 7. quod idem dicendum in casu, ubi
aliquis tertius cum ipso fundi domino ius convenandi seu
simultaneam venationem vulgo Koppel-Jagten / que-
stem habet, ut pluribus videre est apud Fritsch. de
conveni. membr. i. n. 8. seqq. & membr. 3. in corpor. jur.
venat. forestal p. 273. seqq.*

D 2

De

§. 28. §.

§. 4.

*De usufructuario, bone fidei possessore & eo qui
jure antichretico venandi jus habet, non opus est qua-
rere, an & ii, quam diu in tali conditione sunt, ve-
nandi potestatem precariam aliis facere possit, cum ex
notis simis juris nostri principiis responsio facile in
partem affirmativam dari possit, conf. tamen lauda-
tus Harprecht l. c. Zb. 15.*

§. 5.

*Jam de iis dispiciendum est, qui ejusmodi pre-
carias venationes. acquirere possint? ubi quidem bre-
vioribus nobis esse licebit. Possunt autem sine du-
bio omnes venationes hasce accipere, qui earum
alias capaces sunt, sic, ut etiam *pupillus* eas petere
& acquirere valeat sine tutoris autoritate l. fin. ff. de
precar.*

§. 6.

Nec obstat *sexus*, quia vel *farniae* eas vel si-
bi primum comparare, vel à patre vel marito ac-
quisitas continuare queant, cum, quoad istibunc ac-
quirendi modum inter masculos & fœminas nulla
in jure nostro reperiatur differentia, & fœminæ vel
ipſæ venationes, quod Amazonum exemplo patet,
vel per alios exercere possint. Conditio etiam ac-
cipientis hic nihil ad rem facit, dum æque *non-no-*
bilis ac nobilis isthoc juris beneficio frui potest. Un-
de

§ 29. 5.

de etiam civitas municipalis admittenda. Richt. velit.
tat. Academ. XXIX. th. 20. Et quidern perinde fuerit,
five quis ipse sive per procuratorem hoc jus accipiat. L.
6. §. 1. ff. de precar.

S 7.

Cæterum de Clericis & rusticis dubium nascitur, an & iis precariæ venationes concedi possint? Et quidem quod clericos attinet, iis Jure Canonico nonnisi pīscatio concessa, quoniam penitus non invenimus in scripturis sanctum aliquem venatorem, pīscatores autem invenimus sanctos. can. Esau 11. Dist. 86. vel potius quia secundum ordinum regulas paucissimi Monachi atque clerici Pontificii pīscibus carere possunt. vid. Ungeb, Exerc. V qv. 5. in nego. Omnis de reliquo venatio ipsi prohibita per Pontificem, tot. tit. 8 de clero venator. Clementin. de statu Monarchico Tit. X c. 1. Porro à venatione. Patitur tamen hoc imitationem, ut concessa clericis venatio videatur, modo non sit damnoſa, ſed cum silentio & modeſtia, ſineque ſacerdotii neglectu fiat, poft Glōſſam Ge. Mohr c. I. n. 45. & 49. Imo quoad personas Ecclesiasticas, quibus territorium eſt, hæc hodie prorsus immutata, ſcil. ut venari omnino liceat, quod Imperii praxis ubique teſtatur; Et cum iu noſtra quoque Ecclesia ſacerdotibus non prohibitum ſit feuda nobilia adquirere, & honestis quibusvis pri- vilegiis frui, inde dubium non eſt, iis quoque ve- nationes indulgeri poſſe, dummodo non ipſi, ſed

D 3 per

per alios hoc jus exerceant, ne scandalum auditoribus aliisq; per venatoria occupationes præbeatur. Inde jam concludimus, quod, in quibus casibus clerici & Ecclesiasticae personæ venationes habere possunt in iis etiam iisdem precarium venandi jus adquirere non sit illicitum vid. Welenb. ad Tit. de A.R. D.n. 7, Harpræcht l.c. Th. 18. Quod ad rusticos attinet, iis Fridericus Imperator §. 11 quis s. vers. nemo L. 2. Feud. tit. 27. venationes quidem admetit, ne ab agricultura abducantur, utpote quam diligenter excoli permagni Reip. interest authenticum agricultores. Cod. que res pignori &c. l. 3, Cod. de feris. Interim tamen si princeps etiam in rusticum bene de se meritum hanc gratiam, ut v. g. leporis vel vulpes spectari liceat, per modum precarii derivare velit, quid obstet plane non videmus Harprecht. l.c.

CAPUT III.

De

Objectis & formalibus requisitis iuris precario venandi

SUMMARIA.

§. 1. Objectum venationis precaria sunt feræ.

§. 2. Quæ sunt vel maiores vel minores.

§. 3. Hæc divisio suo modo etiam spectat ad volacres & pisces.

§. 4. An

§§ 3r. §§

- §. 4. An etiam lupi, ursi, leones, feles sylvestres, lynxes &c. constituant objectum venationis precaria?
- §. 5. Primum & secundum requisitum venationis precaria.
- §. 6. Tertium.
- §. 7. Quartum.
- §. 8. De formulis concessionum preciarum remissive.

§. 1.

Jam ad objectum juris hujus, sive animalia, quae venationi precaria cedi possunt, progrediamur. Conflituant id feræ in naturali libertate vagantes, cum omnibus suis speciebus, quæ §. 12. seqq. Institut. de R. D. & l. 3. ff. de A. R. D. recensentur.

§. 2.

Notum est moribus Germaniæ nostræ, eás dividit in *majores* vulgo röth und schwartz Bildbret/ & in *minores* v.g. lepores & vulpes. Additur in nonnullis locis jus venandi medias, unde dicitur die Mittel. Hagt / quo referunt capreas & capreolos, ut & apres minores, die Frösche. Seckendorff teutscher Fürsten. Staat P. III. Regal. 5. Quest. 2. Struv. Jurapr. Roman. German. L. II. Tit. I. §. 22.

§. 3.

Et quamvis hæc vere de venatione ferarum terrestrium dicantur, quatenus pescationi & arcuatio contra distinguitur, obtinet tamen hæc distinctione suo modo etiam apud nos in volucribus & piscibus ita ut nobiliores aves v.g. Auerhahnen/Birkhahnen/ Phasanen & similes non capere liceat iis, qui

qui alias avicularum captandarum jus habent. Eadem ratio obtinet in pescatione, sic quidem, ut quibus piscandi jus competit, pro exceptis tamen, & ad solos territoriorum dominos spectantibus, habere debeant v.g. Salmones, Elopes seu acipenseris, & similes ex generosis fluviorum piscibus. Inspicienda autem in his est quorumcunque locorum consuetudo, & ex ordinationibus peculiaribus venatoriis aus denen Jagt-Ordnungen judicandum, quæ in hoc negotio utramque paginam faciunt. Quibus ita præmissis, de venationibus precariis concludimus, quod pro ratione juris venandi, quod quisque habet, in omnibus modo memoratis speciebus, etiam precario illæ concedi posint. Fluit id iterum ex dominio & potestate de rebus suis statuendi, quod quisque velit, nisi peculiariter prohibeatur.

§. 4.

De publicè nocivis, ut sunt v. g. leones, ursi, lupi, feles sylvestres, lynxes &c. dubitari possit, an & in iis concesiones precarie locum habeant, cum Reip. interfit eas a quibusvis capi & necari, uti de leonibus in specie dispositum l. unic. Cod. de venat. ferar. & de lupis Germanorum constat disterium: Der Wolff ist ein allgemeiner Feind. Unde speciali gratia ad eas capiendas vel occidendas planè non opus videtur, dum, quod jure communi concessum est, id precibus frustra imploratur. l. unic. C. de thesaur. Nam vero respondemus, id, sicuti receptum, tamen

tamen apud nos à consensu rectorum civitatis dependere, & illarum ferarum capturam in tota fere Germania ad jus forestæ referri, testibus Rudingero, *Cent. V. Obs. 63.* Andr. Knichen de vestitur. passion. *P. II. c. 2. n. 38.* Klock de Ærar. *L. II. c. 1. n. 23.* & alii allegatis apud Harprecht. *I. c. th. 21.* Unde etiam, si captæ a privatis feræ tales, ad dominum territorii transmittendæ. Sebaſt. Khraiser de Jur. venand. *c. XVI.* Hinc inferimus, quod & jus preciarium venationum ad modo dictas feras omnino extendi debeat, quod pluribus ducit Harprecht *I. c.*

§. 5.

Pergendum est ad *requisita formalia recte constituti & exerciti juris precario venandi.* Videntur autem in hisce quatuor consistere, quæ ad formam præcarii nostræ LL. exigunt. *Primo,* ut concedatur usus vel exercitium venandi. *I. i. pr. ff. de precar.* *Secundo,* ut ad preces concedatur *d. I. & scqq.* Ut enim alii contractus re, verbis, literis & consensu perficiuntur; ita ad formam precarii vel maxime opus est, ut id rogetur, qua ratione differt ab aliis juribus & præstationibus, quæ ex lege vel aliunde nobis debentur, aut alias concessa sunt *I. i. C. de thesaur. l. 30. ff. de reb. autor. jud. posid. conf. Surdus Dec. CCC LXXIII. n. 8.* Sed quid, si princeps alicui proprio motu ejusmodi jus obtulerit,

E

rit,

rit, annon ideo id pro precario habendum? Putamus omnino, quia acceptans talem gratiam, eam rogasse vel voluisse intelligitur.

S. 6.

Tertio LL. requirunt, ut *gratia* ille usus venandi indulgeatur. *I. i. §. 1. & 3. I. 8. §. 3. ff. de precar.* Per hoc enim differt precarium a contractu locationis conductionis, & si quando pecunia vel merces aliqua huic gratiae accedit non esse proprie venationem precariam, jam supra monuimus.

S. 7.

Quarto denique, ut regulariter ratione temporis usus istarum venationum sit *indeterminatus*, indeque semper *revoabilis*, *I. i. pr. & §. 2. I. 2. §. 2. I. 12. pr. ff. de precar.* Dico: regulariter. Nam aliquando fieri potest, ut *ad certum tempus* impetrant talis gratia fiat, ubi queritur: an promittens hoc modo obligatus sit, an vero non obstante ea temporis determinatione revocatio locum habeat, quandocunque id promittenti placuerit? Et in puncto juris omnino verius est fieri posse revocationem, tametsi pactum de non revocando ante tempus constitutum adjectum fuerit. Est enim de substantia precarii, ut pro lubitu revocari possit, dummodo id non cum aperto impetrantis damno fiat, quo casu doli exceptione uti posse impetrantem docet Abbas

Hyp-

§ 35.

Hyppol. de Marsiliis *Singular. CCCLXIII. ad c. ult. X.*
de preclar conf. Menoch de Arbitr. Jud. *Quesit. L. II. c.*
23. Covarruv. *Resolut. L. III. c. 51. n. 6.* Quare tale
pactum de non revocando ipso jure nullum est arg.
*L. 27. ff. de mort. caus. donat. & ne quidem præscri-
ptione adjuvatur. l. 2. C. de prescript. 30. annor. He-
vold Confil. Decisv. XL. n. 6.* Fallere tamen hoc vo-
lunt nonnulli DD. in concessis à principe venatio-
nibus precariis, quippe quæ magis æquitate Juris-
gentium, ac publici quam privati juris regulis re-
gantur, & privilegia Principum plenisime sint in-
terpretanda apud Harprecht *d. dif. th. 40.* quod qui-
dem nobis non omni dubio carere videtur conf.
Struv. *Decis. Sabbathin. c. 14. dec. II.*

§. 8.

Cæterum formulas ejusmodi concessionum
precariarum vid. apud Besold. *Thebur. Præct. voce*
Jagten. Fritschium *corpor. Jur. venat. p. 221.* &
Müllerum *Differat. de venat. precar. c. 4. th. 7.*
quæ sero demum ad manus nostras
pervenit.

E 2

CA-

¶ 36. 50

CAPUT IV.

De

*Fine atque effectu venationis
precariae.*

S U M M A R I A.

- §. 1. Transitus.
- §. 2. Causa ex parte concedentis est sola gratia.
- §. 3. Causa ex parte impetrantis est usus.
- §. 4. Actiones, quas habet concedens.
- §. 5. Effectus concessæ venationis precariæ ex parte impetrantis.
- §. 6. Actiones, quas habet impetrans.
- §. 7. Conclusio.

§. 1.

QUAM ETIAM EX CONSIDERATIONE *finis*, propter quem actio aliqua suscipitur, non parum lucis profiscatur, inde paucis de causis, quæ ad precarias venationes indulgendas & impetrandas movere soleant, dispiciemus.

§. 2.

Est igitur *ex parte concedentis sola fere gratia*, v. gr. si Princeps fidelis minister, vel alteri cuiquam ad tempus ea concessione gratificatur. Fieri tamen potest etiam ex causis aliis v. g. si quando inter dominum & vasallum de venatione controversia fuerit, & ea ita componatur, ut vasallus venationem titulo precarii retineat, vel si princeps in loco nimis remoto venationes habens, pro possessione contra vicinos turbatores, tuenda commodius eorum exercitium alicui sub certo modo concedit. De quibus vid. Fritsch. l. c. pag. 220.

Ex parte impetrantis causa ea esse potest, ut venatione sibi quibuscumque ex rationibus concessa, pro commmodo suo uti possit.

Restat ut denique de *effectibus* agamus, quos precariæ venationes utrique scilicet ex parte tum concedentis tum impetrantis, producunt. Et quidem ratione *concedentis* is effectus est, ut obligatum sibi habeat aequitatem saltim naturali impetrantem ad venationem, quandocunque revocat, restituendam. Sed si ultro facere hic recusat, illi paratum est *interdictum de precario à praetore propositum, tit. ff. de precari, seu actio utilis in factum ex causa interdicti.*

§ 38. 5.

I. 8. pr. l. 15. §. 4 ff. de precar. Aliquando *actio prescrip-*
tis verbis competit. *l. 2. ff. eod.* non quidem ordinaria,
quæ ex contractibus innominatis oritur, sed
extraordinaria quæ etiam variis aliis pactis accom-
modatur. Quod si reus neget esse precarium, a-
ctor eam debet probare, cum & naturalis posses-
tione hunc à probandi onere absolvat, *§. 4. Instit. de In-*
terd. quod in dubio potius suo quam alieno & pre-
cario nomine præsumatur possidere *Masc. rd. de pro-*
bat. conclus. MCCIV. n. 10 seqq. conf. Klock. Relat. Ca-
meral. LXV. n. 96, 107.

§. 5.

Ratione autem *impetrantis effidit* precarii hi
potiores sunt, ut primo constituantur in quasi pos-
sessione illius juris naturali *I. 6. §. 2. ff. de precar.* *Klock.*
Relat. Cameral. LXXII. n. 88. seqq. Ut secundo venati-
onates juxta modum sibi præfinitum exercere pos-
sit, & omnes inde fructus suos faciat, ubi tamen
in dubio ante omnia ad literas concessionis, & re-
versales ab impetrante datas recurrentum erit. Ut
tertio variis remediiis jus suum tueri posit,

§. 9.

Quodsi igitur à tertio turbetur, tunc ei uti-
le *interdictum sui possidetis* paratum est *per l. 1. §. fin.*
l. 2. ff. ut possidetis. Adversus dominum id quidem
non procedit, *d. l. 1. & seqq. Mev. P. VIII. Dec. 409.*
sed

scri-
ina-
sed
om-
a-
sio-
In-
pre-
pro-
Ca-

bi
of-
ck.
na-
of-
en
re-
Ut

ti-
m.
em
9.
ed

sed, ubi ab eo de quasi possessione dejectus fuerit,
ad interdictum unde vi confugere ei licet. §. 6. *Inst.*
de Interdicto Menoch. de recuper. possess. Remed. 1. Qu. 8.
n. 81. seqq. De possessorio summarissimo vid *Mev.*
P. IX. Dec. 117. Dantur etiam effectus hujus precario
venandi juris adversus tertiam, quos qui velit,
consulat Fritschium *in suo corpor. jur. venator. pag. ss 8.*
seqq.

S. 7.

Et haec quidem sunt, quae hac vice circa pro-
positum argumentum meditari visum fuit. Quod-
si non omnia satis exhauserim, vel in uno altero ve-
lapsus fuero, pro humanitate sua id benevolus le-
ctor excusabit, certo de nobis perswasus, quod
cum Deo & tempore meliora & fo-
lidiora in lucem proferre sit
animus.

S. D. G.



Erfurt, Diss., 1713-14

X 2386987

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE EO, 1713, 2³⁸
QVOD JUSTUM EST CIRCA VENATIONES IN GENERE,
ET IN SPECIE CIRCA
VENATIONES PRECARIAS,
VULGO *Wnaden-Sagten/*

QUAM
ALTISSIMO JEHOVA TUTANTE
INCLITA FACULTATE JURIDICA SUFFRAGANTE
IN PATRIA UNIVERSITATE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSI, CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORL. EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE EFFURTENSIS

PRO - PRINCIPÆ;

DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,
PRO - RECTORE MAGNIFICO

VIRO PRENOBILI ET CONSULTISSIMO,

DN. JOAN. PHILIPPO *Streit / JCto,*
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARIO, JURIDICA
FACULTATIS ASSESSORE PRIMARIO, p.t. DECANO,
AD SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA CONSEQUENDOS

PUBLICA ERUDITORUM CENSURE

D. XVI. JANUAR. M DCC XIII. H. L. & C.

SUBMITTET

FRIDERICUS ANTONIUS *Wassenhorst / Erfurt.*

Typis JOH. HENR. GROSCHI, Acad. Typogr.

